

sui patrimonii, qui ad necessariam sustentationem non sufficiunt, supplex ab EE. VV. dispensationem petit, ut non obstante sinistri brachii debilitate facultas celebrandi missam sibi impertiatur. Asserit enim oppidum Parolisii, in quo moratur, non nisi paucis incolis constare, Populum autem diebus festis paroch. missae interesse, quae praevio campanae sonitu celebratur, feriatis vero diebus adeo infrequenter habitatores laboribus assuetos ad Sacrum audiendum convenire, ut vix reperiatur, qui missae possit inservire. Ex quo putat nullam administrationem orire posse, si feriatis diebus quacunque hora in paroch. ecclesia celebraverit, festivis vero post parochiale Sacrum nulloque praemisso campanae sonitu; advertit enim ex implorata solum facultate in eadem ecclesia celebrandi eleemosynam consequi posse, qua dumtaxat sibi, sororibus ac consanguineis paupertate laborantibus consulere poterit.

Episcopus in sua relatione ait haec: „Experimentum coram Magistro Caeremoniarum hujus Cathedralis faciendum curavi, ex quo deprehendi, nullam revera in praedicto Sacerdote conspici deformitatem, quae scandalum pariat in populo. At vero inficias iri nequit, quin periculi aliquid imminet calicem invertendi, dum calicem ipsum ambabus manibus elevat tam post consecrationem quam ad dicta verba: „Omnis honor et gloria“; et in ss. Hostiae fractione ita se gerere, ut non eo modo, qui tanto mysterio convenit, illam frangere possit, praesertim hyberno tempore, sed vel in plures particulas vel satis indecenter discerpat.“

„Quare existimo, si vobis EE. PP. videbitur cum Oratore dispensare ob ejus paupertatem, esse ita dispensandum, ut calicem sola manu dextera elevet tum post consecrationem cum

quando illa verba profert: „Omnis honor et gloria“; quo vero ad hostiae fractionem ei indulgendum, ut illam tantum super patena frangat ac detrahat particulam, quae est in calicem mittenda, nam hoc pacto fractio haberetur, quae divinae institutioni adscribitur ab E. Card. Bona. Debet tamen ipse Sacerdos sic dispensatus se abstinere a celebratione in ecclesiis, ubi populi adest frequentia, ne quid scandali inde oriatur.“

„Sin vere hujusmodi indulgentia haud illi posse impertiri judicaveritis, minime eidem permittendam missae celebrationem censeo; etenim elevando calicem auxiliante laeva periculum, ut dixi, in Oratore adest calicem invertendi et dividendo per mediam s. Hostiam maxima irreverentia fieri videtur, cum eam in diversas particulas dividi accidat vel manu plus quam oportet contrectari, unde plurima decidunt fragmenta, quae postea sola dextera colligere non potest.“

Ea jamdudum in ecclesia invaluit disciplina, ut corpore vitiatum aut aliqua parte mutilatum a s. ordinibus et ab altaris ministerio arcerentur, si propria voluntate vel culpa id acciderit; si autem non proprio facto sed casu aliquo vel necessitate vitiatum fuerint, duobus tantummodo casibus irregulares evaderent, vel scilicet quando membrum, quo carent aut in quo debilitatem patiuntur, ad exercitium ordinis suscepti vel suscipiendi necessarium fuerit, unde impossibilitas ministrandi emerget, vel quando deformitas adsit, ut sine populi scandalo s. ministeria exerceri non valeant. *Gonzalez* in Comm. ad cap. 2. de corp. vitiat. n. 6.

Cum itaque deformitatem in Oratore excludat Episcopus, videndum superest, an inaptitudo sinistrae manus illum impediatur, quominus substantiales Sacrificii ritus observet. Dubitari non potest, antiquissimum esse morem

elevandi sacram Hostiam et calicem post consecrationem. Verum observat *Pauget* t. 2. inst. cath. ante Saecul. XII. ad haec sola verba: „Omnis honor et gloria“: „Nec prius ostendebatur corpus Christi simul cum calice populo circumstanti ad adorationem. Calicem ergo simul cum Hostia Sacerdos sublevabat in altum, ut populus videret et adoraret. Exque autem usus invaluit elevandi Corporis Christi ac deinde calicis statim post peractam consecrationem, minus solemnibus haec altera calicis et corporis elevatio plerisque in ecclesiis fuit; nec jam sacerdos sic elevat calicem, ut a populo circumstanti videri possit.“

Gravissimae nihilominus fuerunt rationes, quibus elevatio solemniter statim post consecrationem in ecclesia inducta est; siquidem non inferioris notae auctores referunt, duxisse originem a tempore, quo Berengarius realem Christi praesentiam in Eucharistia vel transsubstantiationem panis in corpus Christi negavit, idque introductum affirmant, ut novo externo Latria actu tanto Sacramento veneratio exhiberetur, quamquam a sui initio Ecclesia cath. interno exteriorique cultu super hoc Sacramentum prosecutus est, quemadmodum doctissime advertit *Benignus Bossuet* in tract. de missae sacrificio.

Non una tamen fuit penes omnes hujusce ritus observantia. Etenim nonnullae ecclesiae consueverunt hostiam simul cum calice post consecrationem elevare, aliae vero hostiam tantummodo, in qua corpus et sanguis Christi realiter existunt, quia in elevatione calicis non nihil periculi inesse perpenderent. Morem hunc retinent Carthusiani, ut testatur *Pauget* l. c., qui addit, nec Religiosus Ord. s. Dominici aetate sua calicis elevationem fuisse praescriptam. Hoc ipsum testatur etiam *Sotus* in 4. Sent. dist. 15.

quaest. 2. art. 5., dum ait: „Neque in nostro Ordinario, quod inde (nempe a Carthusianis) sumptum est, praecipitur Nobis ut elevemus. Quin et complures sunt Religionum Ordines, in quibus non praecipitur elevari, sed ne ab ecclesiis Saecularium dissideant, illum elevant.“

Elevationem vero sive post consecrationem sive ad verba: „Omnis honor et gloria“ fieri assertit *Pauget*, ut populus Venerabilem Sacramentum adoret, sed *Amalarius* affirmat eam indigitare devotum animi effectum externo signo demonstratum. „Hoc ipsum, ait, volo Tibi omni visu monstrare, tota fide ita me tenere, elevo praesentia munera ad Te ego indignus Sacerdos.“ Ad essentiam tamen hujus ritus non videtur necessario requiri, ut Sacerdos utraque manu calicem attolat, nec nisi ob periculum effusionis pretios. Sanguinis Christi utriusque manus ministerio ex praescripto rubricae in ecclesia utimur.

Haec quoad elevationem calicis; quo vero ad fractionem Hostiae animadvertendum est, eam fuisse praescriptam, tum quia Christus Dom. in ultima coena panem benedixit ac fregit jubens, ut id fieret in sui commemorationem, tum etiam ad indigitanda per hanc actionem mysteria, quae refert *S. Bonavent.* in tract. de expos. Miss. cap. 4. §.: Sed antiquam, *S. Thomas* 3. part. quaest. 83. art. 5. ad 8., *Innocent. III.* l. 5. de myster. Miss. cap. 3. Inquirendum hic esset: an de substantia actionis sit Hostiam frangere super calicem, de quo tamen cum antiqui Scriptores nihil innuant, existimari debet, nil quidquam de mysteriorum significatione immutari, si divisio fiat super patenam, et fortasse usum inolevisse dividendi Hostiam super calicem, ne fragmenta huc illuc dispergerentur.

Denique quoad dispensationem conveniunt Doctores, quod si non agatur de non promovendo sed de habitando jam promoti ad ordinum exercitium, facilius indulgeri possit, ut Sacerdos, qui una caret manu, missam celebret. Praecisse vero dispensationem fuisse concessam cuidam Regulari, cui ob morbum manus erat impedita, ut celebrare possit cum alterius Sacerdotis assistentia, referunt *Henriquez* l. 14. cap. 8. n. 4. lit. Q., *Leander* opera mor. part. 5. tract. 2. de Irregularit. part. 89., qui ulterius quaest. 90. subdit: posse a SS. Pontifice dispensari cum Sacerdote utraque manu carente, ita tamen ut per manum alterius Sacerdotis Hostiam elevet, frangat et sumat.

In una *Coelestina* agebatur de Sacerdote, qui brachii dexteri flexibilitatem amiserat, ita ut nec illud elevare posset nec se signo crucis signare nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte, a pectore, ab utroque humero et ab ore nec in celebratione missae S. Hostiam et Sanguinem sumere poterat nisi ope brachii et manus sinistrae, licet caeteras missae caeremonias rite adimpleret. Positis autem dubiis:

1. An Sacerdos sit irregularis?

2. An eidem sit concedenda dispensatio, ut missam celebrare possit in casu?

S. C. resp. die 13. Jul. 1725 ad 1: Affirmative; ad 2.: Arbitrio novi Archiepiscopi.

Similis quoque dispensatio in similibus fere casibus concessa fuit in *Placentina* die 1. Febr. 1766 et in *Lunen. - Sarcanen.* 16. Dec. 1769.

EE. PP., qua ornantur sacri juris peritia et aequitate, edicent, quid agendi in praesenti casu, dum quaeritur:

*An sit concedenda dispensatio in casu?*

S. C. resp.: *Negative.*

Die 7. et 28. Julii 1770.

Contin. Abellinen.

Novus Sacerdos Orator preces exhibuit, asserens decursu temporis ac medelarum usu ita profecisse, ut absque sustentaculo ambulare et brachium sinistrum mediocriter movere possit, ita ut sperare liceat, fore ut imposterum omnino convalescat, quem admodum depositione etiam Medici comprobavit. Super hisce precibus iterum auditus est Episcopus, qui retulit: „In novo experimento coram Magistro Caeremoniarum habito non solum nulli deformitati obnoxium ipsum Sacerdotem esse cognovi, quae scandalo populum afficiat, verum etiam brachium sinistrum ita nunc movere, ut amplius non immineat periculum calicem invertendi, quum illum elevat. Quod adjumentum ex usu Ihermarum Puteolanarum fuisse consequutum asseruit et facile crediderim. Pollicem vero et indicem levae non ita esse sanitati restitutas animadverti, ut queat illis dexteram adjuvare in frangenda SS. Hostia super calicem. Hinc ea tantum dispensatione indigere existimo, qua possit fractionem facere super patena.“

Prosequitur deinde: „Quod si eos PP. EE. aequius melius ei indulgere judicaveritis, ut ex Hostia eam tantum detrahat particulam, quae est in calicem immittenda, ut mihi primum visum fuit et adhuc etiam videtur, majori certe decentia fractio fieret, nam pauciora et fortasse nulla inde deciderent fragmenta, quibus colligendis minus aptam solam dexteram, alias Vobis significasse nemini.“ Denique concludit: „Rogatos Vos interim Emi Patres volo, ut paupertati seu

potius devotioni praedicti Sacerdotis consulere dignemini.“

Haec habet Episcopus in nova sua relatione. Quid autem super hac petitione animadvertendum sit, patebit ex folio diei 7. Julii anni praeteriti in quo causa describitur et fusius atque accuratius res expenditur. Viderint Emi PP., an supplicantis annuendum sit, dum quaeritur:

*An sit standum vel recedendum a decisio in casu?*

S. C. resp.: In decisio.

Die 20. Apr. 1771.

c) Brachio privatus.

Burgi s. Sepulchri.

Sacerdos Philippus Maggiorani parochus s. Martini in Valle Astae dum venationi non clamorosae operam daret, laevam in irregulari Sclopi explosione sic laesit, ut deinde mortis vitandae causa brachii partem amputari necesse fuerit. Parochus ergo, brachio amisso, factum se esse irregularem agnoscens, libellum supplicem Sacrae huc Congregationi dedit, quo postulabat, ut infortunii sui atque ipsius Ecclesiae ratio haberetur. Sed super difficili postulatione primum requisitus est Ordinarius de informatione et voto.

Misertus est quam maxime Ordinarius infortunii Oratoris et dolens de extrema ejus paupertate deque gravi necessitate Ecclesiae, cum magistrum Caeremoniarum consulisset rescripsit: „Ne tamen afflicto afflictionem addamus, precibus ipsius ab EE. VV. indulgendum fore nedum censerem, verum etiam optarem. Ut autem Sacramentorum administrationi et curae animarum tutiori modo consulatur, iterata experimenta habui coram meo Caeremoniarum magistro, cujus sententiam propria manu exoratum hic inclusam EE. VV. invenient et cum

quo sentio et ego, nihil dedecoris vel injuriae, posse oriri relate ad divinum cultum et Sacrorum exercitium, si juxta methodum a Caeremoniarum magistro designatam Orator optatum ferat.“

Magister Caeremoniarum singulos explicat modos, quibus Orator citra periculum et commode satis ac reverenter Divina tractare possit. Nam manicam ab eo laeva gestari vult, quae farta sit, ut ita deficientis brachii speciem induat: tum laicum ei hominem adstare albatum, qui ministri Clerici vicem adimpleat: regulas inde enumerat, quas Orator sequatur pro abstersione calicis, s. hostiae fractione et deciduorum fragmentorum collectione: demum ubi Sacramentum populo distribuendum sit, mensam parvulam sub altari constitui, in qua ipse sacram pyxidem deponat atque ex ea accedentibus Eucharistiam administret: ubi vero ad infirmos deferenda sit, capsulam concavam satis ei praesto esse, in qua sacram particulam ponat: de extrema unctione convenit, eam commode administrari posse, etiam dextera tantum manu. Sed earum Caeremoniarum, quae in Sacrosancto Missae Sacrificio utraque manu implendae sunt, nullum aliud esse consilium, nisi dispensationem petere a S. R. Cong. Porro ipse fatetur, se pluries vidisse Oratorem sacras res pertractantem modo ab eo explicato sine ulla indecentiae vel periculi nota.

Enimvero status paroeciae maxime advertendus esse dicitur. Ejus enim redditus ita tenues sunt, ut Orator capellanum seu Vice-Parochum adiutorem advocare atque alere non possit. Contra autem ea se abdicare non potest, tum ob summam paupertatem, qua premitur, tum ob non exiguos sumptus, quos tam Ecclesiae quam paroeciae causa jam fecit. Quare hoc

audet petere, ut EE. VV. benigniori consilio ei succurrant ejusque preces audiant.

Neque vero desunt DD., qui pro testimonio referant, vidisse se Regularem, qui, licet laeva non uteretur, tamen dispensationem obtinuerat. *Henriquetz* lib. 14. cap. 8. n. 4. tit. 9. Immo addit *Leander* oper. Moral. p. 5. tract. 2. de irregularit. quaest. 89. 90. justis de causis dispensari posse, etiam cum eo, qui utroque brachio careat, si s. hostiam alterius ope et frangat et elevet et sumat caeterisque s. Officiis fungatur.

Caeterum S. Congr. in similibus casibus dispensationem constantissime denegavit. Sic in Augustana Irregularitatis 19. Dec. 1772 in *Thes. resol.* tom. 41. p. 225, cum ageretur de parochio, qui laevae digitis amissis illos sibi quaesierat argenteos, affabre elaboratos auroque perpolitos et ab Episcopo consecratos, qui facile agerentur instar naturalis motus ope Spyrorum sub concavitate manus latentium. Neque tamen aut ex honestate rei, aut ex testimonio magistri Caeremoniarum, aut ex Paraeciae et Oratoris paupertate adduci potuit, ut precibus annueret. Quod Judicium pari conditione sequuta est in *Abellinen.* Irregularitatis 7. Jul. 1770 in *Thesaur. resol.* tom. 39. p. 187 et 197, in qua preces exponebantur Sacerdotis, qui ex apopleptico morbo impotens factus erat, ne calicem substineret, dum pro populo elevatur, aut verba canonis recitantur: omnis honor et gloria, neve s. hostiam supra calicem frangere posset ejusque particulam dividere, quae inde in calicem immittitur; licet etiam preces testimonio magistri Caeremoniarum munitae essent, qui referebat, nihil periculi aut indecentiae in dispensatione subesse posse.

Vestrae vero nunc erunt partes EE.

PP. perpensa etiam Paraeciae necessitate decernere:

*An sit locus dispensationi in casu?*

S. C. resp.: Negative.

Die 28. Maii et 18. Junii 1785.

Iterato dubio: *An sit standum vel recedendum a decisio in casu?*

S. C. resp.: Ad Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem.

Die 7. Julii 1787.

#### d) Digitis laborans.

##### Augustana.

Josephus Frank Presbyter Augustanae dioecesis et parochus Villae Roht supplicem Sanctissimo D. N. obtulit libellum, in quo narravit, ex chirurgi incuria atque imperitia, ob subortam in sinistra manu inflammationem, illius digitos amisisse atque idcirco tanquam irregularem a Missae celebratione debuisse abstinere. Supplicavit idcirco pro dispensatione et facultate celebrandi ope digitorum argenteorum, quibus affabre elaboratis atque ab Episcopo consecratis, possit omnes Missae ritus et Caeremonias, ipsam quoque hostiae elevationem et fractionem absque ullo incommodo, periculo aut dedecore peragere. Ut autem facilius dispensationem assequeretur, exposuit, parochiam esse valde tenuem, teneri matrem senem et pauperrimam ex naturae debito sustentare neque hac misserrima tempestate subrogari posse capellanum, qui ejus loco Missam celebret.

Remissae fuerunt preces Sacrae huic Congregationi, quae Officiali Augustano commisit, ut facto coram Caeremoniarum magistro experimento, referret, an in Oratore appareat deformitas, quae scandalum generet in populo aut Divinis praestet impedimentum, praesertim quoad Augustissimae hostiae fractionem. Advocatis itaque Pro - Vicario et Vicesgerente

Curiae Episcopalis, necnon Caeremoniarum magistro aliisque Consiliariis et Vicariatus Assessoribus, Officialis Augustanus sinistram Oratoris manum diligenter inspexit deprehenditque non tantum digitos (ut per errorem fuit in supplici libello expressum) sed integram volam chirurgi incuria atque imperitia fuisse deperditam et a brachio totaliter abscissam.

Caeterum retulit, sine ulla prorsus deformitate aut scandalo Missae Sacrificium ita ab Oratore posse celebrari, ut digitorum et manus defectus non advertatur ab adstantibus, nisi ab iis, quibus illorum deficientia aliunde cognita fuerit. Id autem ex eo contingere dixit, quia celeberrimus quidam Augustanae civitatis Artifex manum ex cupro et argento vivae manui simillimam elaboravit et brachio mediis fascibus sub vestis manica conditis adeo accurate aptavit, ut non artefacta sed quasi viva et vera manus appareat.

Addidit, pollicem et primum digitum seu indicem ex argento confectos et in partibus interioribus, quibus sacrosancta hostia tangitur, auro purissimo esse obductos atque in ipsius manus artefactae cavitate latere spiras calybeas, quae partim motione brachii, partim vero pressione minimi digiti, quem dicunt auricularem, modo pollicem, modo indicem, modo utrumque juxta Officii exigentia movent, ita ut spirarum intus latentium auxilio pollex et index vel ab invicem recedant vel mutuo se tangant, pro varietate rituum, qui in Missa peragi debent.

Hinc fieri, ut Orator non solum possit ad initium Missae utraque manu Missale aperire, sed etiam ante Offeritorium utraque manu calicem cooperatum detegere, patenam in altum elevare, cum ea crucem super altare efformare, hostiam sacram in illa po-

nere, calicem tum ante infusionem vini tum post purificationem abstergere et manu artefacta tenere omniaque adamussim, quae necessaria fuerint, adimplere.

Quo vero ad augustissimae hostiae elevationem et fractionem, asseruit Officialis utrumque una atque altera manu sine ullo prorsus periculo, scandalo aut deformitate ab Oratore perfici ipsumque ope manus artefactae hostiam frangere et calicem elevare. Eadem quoque testatus est de aliis ritibus et Caeremoniis ad Missae sacrificium pertinentibus; quare ita conclusit: „Caeterum facile per se dijudicabunt EE. VV., non sine magno sumptuum impendio dictum Josephum Oratorem sub spe dispensationis Apostolicae hanc sibi manum conficere curasse. Et novum hoc artis mechanicae prodigium, omnium, quotquot illud videre contigit, singulari admiratione exceptum, perenne et convincens testimonium est ardentissimi illius zeli et vehementissimi desiderii, quo Orator saepedictus gratiam apostolicam exoptat et suspirat, qua et illum eo digniorem esse censeo, quo certius mihi constat, verissimum esse, eundem Oratorem esse virum omnibus acceptum, qui sine omni minima sua culpa et casu tam fortuito, quam infelici manum suam perdidit et toto, quo illam perdidit, tempore a celebranda Missa abstinere debuit et semper abstinuit, a tribus supra viginti annis zelosissimum in vinea Domini operarium et parochum in explendo suo munere semper indefessum extitisse et etiamnum suam matrem viduam pauperrimam, ex suis, quamvis exiguis parochiae redditibus sustentare, alium autem Presbyterum, qui oneri Missarum parochialium satisfaciat, ob ipsam proventuum pro Oratoris et matris pauperrimae sustentatione vix ac ne vix quidem suffi-

cientium tenuitatem alere et pro iisdem Missis eleemosynam persolvere non posse; ut ita et Oratoris personalia merita et extrema quasi necessitas pro concessione dispensationis apostolicae in casu hoc prorsus particulari perorent.“

Compertum est, irregularitatem ob defectum corporis ex veteri testamento desumi, habetur enim ex Levit. 21. vers. 18. et 19., quod Dominus sic ad Moysen loquutus est: „Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus, si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus“ etc. — Hanc autem legem, una cum aliis veteris Testamenti, quae Caeremoniales dicebantur, defuse constat pluresque auctores ad antiquos canones provocantes ex iis patere arbitrantur, persuasum fuisse patribus, parum in electione Sacerdotum curandum de defectibus corporis, dummodo de bonis eligentium moribus ac necessariis qualitatibus ad Sacerdotii functiones rite obeundas constaret.

Qualiscumque tamen fuerit ecclesiasticae disciplinae initium de irregularitate ob defectum corporis, satis liquet ex Summorum Pontificum responsis, hujusmodi defectum non absolute et simpliciter constituere aliquem irregularem, sed solum quando defectus accidit ex culpa vel quando talis sit, ut vel absolute defectuosum reddat inhabilem ad obeundas ministerii functiones vel ratione defectus adsit periculum irreverentiae aut scandali. Et re quidem vera in *cap. de Presbytero 1. de corpore vitiatis*, requisitus Alexander III., an Presbyter, qui in duello partem digiti amiserat,

possit in suo Ordine ministrare, respondit: „Quod cum ipse non perdidit tantum de digito, quin sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potest post peractam poenitentiam cum eo misericorditer agi et permittere ipsum in suo Ordine ministrare, licet ejus excessus gravis admodum extilisset.“ Notanda sunt verba illa, „quin sine scandalo possit solemniter celebrare.“

Honorius item III. in *cap. Thomas eod. tit.* sic respondit de quodam monacho, cui barra quaedam ferrea, quae super dexteram ceciderat, pollicis unguam ab eo avulserat: „Mandamus quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens et aliud Canonicum non obsistat, propter deformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis.“

Et tandem Eugenius Papa *cap. Presbyterum de Clerico aegrotante*. arcendum ab altari censuit Presbyterum quemquam, cui duo digiti cum medietate palmae fuerant a praedone abscissi, ea tamen addita ratione „quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus.“

Ex his aliisque Summorum Pontificum responsis inferunt canonistae, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam, vitium sive defectum corporis, qui sine culpa patientis accidit, non inducere irregularitatem, nisi talis fuerit defectus, ut vel simpliciter impediatur Ordinum exercitium vel deformitatem adnexam habeat, quae functiones omnes secure ac sine periculo aut populi offensione peragere non permittat. His innixus pro certo habet *Sylvius tom. 5. oper. verb.: Irregularitas*, posse Episcopum ad Ordines admittere Clericum multoque magis religiosum, cui omnino erutus fuerit oculus sinister ejusque loco

appositus extiterit oculus aureus artificiosus absque ullo patientis incommodo et tam apte, ut nisi praecise attendatur, vix de artificio suspicari valeat nec ulla adsit notanda deformitas aut incommodum, et sic unico oculo possit legere, quasi utroque frueretur. Haec itaque prae oculis habenda sunt in praesenti casu. Nulla sui culpa Josephus Frank et volam sinistrae manus amisit, prout patet ex relatione Officialis Augustani, ex qua etiam constat, ope manus artefactae ita suppleri defectum, ut sine ulla deformitate aut periculo aut scandalo ritus omnes a rubrica praescriptos observare et exequi valeat. Patet etiam ex eadem relatione, quae urgeat causa, quae utilitas dispensationis. His ergo omnibus perpensis Emi PP. decernent:

*An sit locus dispensationis in casu?*

S. C. resp.: Negative.

Die 19. Dec. 1772.

#### *Tridentina Dispensationis.*

Sacerdos Parides Leonensi cooperator parochialis in loco Baselga Tridentinae dioeceseos causa accidentaliter morbi amputationem passus est, ex qua primam ex integro et ex aliqua parte etiam secundam phalangem digiti manus dexterae amisit. Causatus itaque suam paupertatem ac exiguum sacerdotum numerum in dioecesi Tridentina dispensari ab irregularitate postulat, ut scilicet digito indice sic mutilato vel medio ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum uti valeat.

Super oblatis precibus haec habet Episcopus: „Orator die 18. Aprilis anno 1816 natus atque ad presbyteratum die 11. Julii 1841 promotus, pietate et religione constanter eminebat atque laudabilem in cura animarum operam pro viribus hucusque praestitit. Ob periculosum tumorem, quo

nuper accidentaliter affectus est, ceu necessaria a peritis judicata fuit aliqua mutilatio, ex qua integro et ex aliqua parte etiam secundam phalangem digiti indicis manus dexterae amisit; sperabatur fore ut digitus sic mutilatus quantocius sic sanaretur, ut gratia S. Sedis Apostolicae accedente ad sacrosanctum Missae sacrificium adhiberi posset; sensim vero fere ex integro obrigit et in tali statu invenitur, ut certe diutius cooperatus retineri debeat et probabilius ad praedictum usum non amplius aptus evadat. Peracto autem experimento coram sacrarum Caeremoniarum magistro patuit, Oratorem cooperto digito offenso aliquo vel amine carni coloris decenter et commode sine ulla populi admiratione sanctam Missam celebrare posse, dummodo benignissime usus digiti medii loco indicis permittatur. Orator bonis fortunae destitutus est, ut stipendiis Missarum, quae hic abundant, pro honesta sustentatione indigeat. Cleri vero penuria in hac dioecesi est magna, ut grave accideret bonum cooperatorem pro cura animarum perdere.“

„Omnibus hisce perpensis humillimis Oratoris precibus pro gratia obtinenda et meas reverenter adjungere audeo.“

S. Congregatio justa concurrente causa in more perpetuo habuit dispensationem impertiri ab irregularitate ob corporis vitium contracta, praesertim cum ageretur de dispensando sacerdote jam promotus et non de clerico promovendo, ceu discusso articulo definitum fuit in Comen. dispensationis, 16. Maii 1775 et 12. Junii et 11. Julii 1776. Cujusmodi dispensationem exemplis plenus est resolutionum thesaurus, quorum plura refert supplex libellus in Januen. 2. Aug. 1823, qui est sub n. 69. penes Gamberini. In casu dispensationem sua-